

B. M. II, 348.
H. 68, 8.

II k
387

ORDINARIVS X 2315736
SENIOR ET RELIQVI DOCTORES
COLLEGII IVRIDICI LIPSIENSIS
A D
MEMORIAM
IOH. SIEGFRIDI
ACKERMANNI
MERCATORIS QVONDAM LIPSIENSIS
PVBLICA ORATIONE
D. XXVI. IAN. HOR. IX - X. c1o1oCCLII.
IN AVDITORIO PETRINO
CELEBRANDAM
LECTOREM BENEVOLVM
EA QVA DECET HVMANITATE

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(GALE)

I N V I T A N T .

BIBLIOTHECA
POSICKAVIANA



ORDINARIUS
 SENIOR ET VICE-DOCTOR
 COLLEGII IVRISICI LIPSIAE
 AD
 MEMORIAM
 JOH. STEPHANI
 ACKERMANNI
 MERCATORIS QVONDAM LIPSIAE
 EVANGELICA ORATIONE
 IN ABBATIA S. MARTINI
 GEORGIENSI
 ELECTORUM BAVARUM
 ET QVA DEOCTAVO
 IN VITIS





In programmate, quo memoriam Bornianam oratione solemni colendam indiximus anno superiori, singularem exhibuimus speciem, qua flumen *Salae* publicum cursum suum inter insulam in eo ab antiquo natam, vasallo praedii equestris, *Delitz*, propriam, nec non prata praedii nobilis, *Burgwerben*, e regione sita, ita immutauit, ut subito et vno quasi impetu alueus prata ista et insulam intercedens terra expleretur, tandemque prata cum insula et terra intermedia coalescerent in vnum, ita, ut insula, forma priori amissa, noua fundi *Burgwerbenensis* frons appareret. In controuersia huius rei ergo ventilata dominium insulae, ad possessorem feudi *Delitz* quondam pertinens, ipsi ablatum, et accessionis iure domino praedii *Burgwerbenensis* quaesitum esse, pronuntiauit *Curia Suprema Prouincialis Lipsiensis*, uti apparet ex sententia definitiua, et decidendi rationibus laudato programmati insertis, quae tum iuris ciuilibus dispositione, quum consuetudine, intuitu insularum in flumine *Sala* cum alterius fundo coalescentium, praescripta nuntur. Nouimus, sententiam istam, in Summo Prouocationum Senatu Dresdensi semel iterumque confirmatam, in rem iudicatam transiisse. Sed et nouimus, in dicto Senatu dubitatum esse, an haec sententia iuri conueniat communi? Quod hac occasione cu-

rarius inuestigasse iuuabit. Ait POMPONIVS in *l. 30. pr. d. A. R. D. ergo si insula nata accreuerit fundo meo, et inferiorem partem fundi vendidero, ad cuius frontem insula non respicit, nihil ex ea insula pertinebit ad emtorem: eadem ex causa, qua nec ab initio quidem eius fieret, si iam tunc, cum insula nasceretur, eiusdem partis dominus fuisset.* Verum tamen sub iudice lis est, an haec lex ad speciem a nobis propositam pertineat. Qui aduersam tuentur partem, ii legem istam de insula fundo meo, cui proximior est, iure vicinitatis adcrecente, eadem accipere videntur libertate, qua nos de insula, non solum ob proximitatem, sed et per coalitionem accrescente, accipimus, quantumvis nostra sententia exinde fortius capiat praesidium, quoniam series verborum in lege allegata accretionem insulae, quae non post venditionem inferioris fundi partis, sed ante eam nata ad alium pertinuit dominum, probabiliter insinuat, nec non arbor in ripa fluminis, quae secundum meum agrum est, de qua in *§. seq. i. agitur, exemplum accessionis, per vnitatem cum terra mea factae, constituit.* Quicquid id est, plures rationes ad speciem nostram dilucidius pertinentes, et cum prioribus connectendae non deficiunt. Quae in accessione, per appulsionem infecutamque coalitionem facta, tanquam modo dominium transferendi, in *§. 21. I. d. R. D. et l. 7. §. 2. d. A. R. D. l. 9. §. 2. d. damn. infect.* expresse fundato, vid. EV. OTTO *ad Instit. L. II. tit. 1. §. 21.* VOET. *ad Pandect. L. XLI. tit. 1. §. 16.* latent. Nimirum si vis fluminis de alterius praedio partem detraxerit, et meo praedio attulerit, palam est, eam non quidem ad me, sed ad alterum, cuius praedio detracta, pertinere. Quod si vero longiore tempore meo haeserit fundo, et arbores, quas secum traxerit, in meum fundum radices egerint: ex eo tempore pars ista meo fundo est acquisita. *d. l. 7. §. 2. d. A. R. D. d. §. 21. I. d. R. D.* ibique VINNIUS, verb. *videntur vicini fundo acquisitae.* Proxima et praecipua huius acquisitionis causa est coalitio, vis fluminis causa est ex parte, et remotior. Quae dispositio nihil habet iniqui. Nam qui passus est partem

tem

tem auulsam, et vi fluminis sibi abreptam, tamdiu fundo adhaerere alieno, vt tandem cum hoc coaluerit, et vnitatem cum eius terra fecerit, ipse illam alienasse videtur, eadem ratione, qua idem respondetur de eo, qui rem suam vsucapi patitur. *l. 28. d. V. §.* Neque vero ad iniquitatem tollendam necessè est, vt domino partis auulsae, et ipsi ablatae, vtilem rei vindicationem ad pretium consequendum tribuamus ex *l. 5. §. 3. d. R. V.* quod faciunt *EV. OTTO d. l. BERGER Oecon. Jur. L. II. tit. 2. §. 15. HVBERVUS Prael. ad Instit. L. II. tit. 1. §. 34. HOPPE Comment. ad Inst. L. II. tit. 1. §. 21. verb. radices egerint*; aliique. Sola domini negligentia patientis, vt ipse rei suae excidat dominio, et hoc ad alium deuoluatur, sufficit ad notam iniquitatis abstergendam. Et dispar ratio, quae in nostra occurrit visione, argumentum ex *d. l. 5. §. 3. d. R. V.* petitum excludit, dum in lege modo citata de arbore in alienum agrum translata, quae coaluit et radices immittit, agitur. Quippe tum non tam factum domini, qui arborem suam negligit, eamque in agro alieno radices agere patitur, quam factum eius, qui arborem alterius suo fundo immittit, respicitur, praesertim, quia talis negligentia domino arboris, qui difficulter scientiam, consequitur, quis arborem possideat, imputari non potest, qualis imputanda est illi, qui partem terrae vi fluminis sibi ablatam mox persequi, et experiri valet, cui eadem sit adiecta. Vnde aequitatis est naturalis, eum, cui arbor aliena per coalitionem accrescit, facto implantationis proprio non fieri locupletiozem cum alterius, ad quem arbor antea spectauit, damno et iniuria. *l. 206. d. R. l.* Ita enim restringere debemus regulam, quam *HOPPIVS d. l.* adducit: *toties pristino domino actio ad pretium pro re sua consequendum competit, quoties huius rei dominium iura alteri accessionis titulo addicunt.* Et cum hac restrictione non solum exemplum in *d. l. 5. §. 3. d. R. V.* adductum, sed et reliqua, quae in *l. 23. §. 4. d. R. V. §. 29. et 34. I. d. R. D.* occurrunt, conspirant. Enimuero accessio, quae per auulsionem et appulsionem, inscuta coalitione, exoritur, non facto domini rei

rei principalis, sed mediante natura et vi fluminis, potissimum-
 que domini rei accessoriae negligentia procreatur. Quod in talis-
 modi specie is quoque, qui dominium rei per accessionem quae-
 sivit, pristino domino ad aestimationem praestandam obligatus sit,
 ex *d. l. 7. §. 2. d. A. R. D. §. 21. I. d. R. D. l. 9. §. 2. d. damn. inf.*
 non apparet. Harum igitur legum silentium, praecipue vero *d.*
l. 9. §. 2. d. damn. inf. dominum rei per coalitionem accrescentis
 a pretii refusione potius absoluit, quam, ut is ad eam *arg. d. l. 5.*
§. 3. d. R. V. condemnandus esse videatur. Et sic quidem recte
 iudicant VINNIUS *d. l. THVLDEN ad Instit. L. II. t. 1. cap. 36.*
 VOET. *ad Pand. d. l. ANTON. MATTHAEI comment. ad Instit.*
L. II. tit. 1. §. 21. cum quibus facere videtur MENCCKEN *theor.*
et prax. Pand. L. XL. tit. 1. §. 18. Quemadmodum ex fundo tuo
 crusta in meum fundum lapsa, si coaluerit, et unitatem cum mea
 terra fecerit, a te vindicari nequit, nec tu mecum agere poteris,
 ius mihi non ita esse, crustam habere, quia mea facta est, *d. l. 9.*
§. 2. d. damn. infect. ita diuersitatis ratio non apparet, cur crusta
 in alueum, qui fundum meum et insulam tuam separat, lapsa,
 postquam coaluit, et cum terra mea unitatem fecit, mihi non ac-
 quiratur, et porro, postquam insula tua cum crusta mihi quaesita
 coaluit, et cum hac unitatem fecit, cur ego insulae istius, cuius
 coalitionem tu non impediisti, dominium non nanciscar. In-
 stas, dominum insulae, quae cum crusta in alueum lapsa unitatem
 fecit, eodem iure accessionem praedii vicini ex parte aduersa, cum
 quo crusta est unita, praetendere, quo iure huius praedii domi-
 nus crustam, et per consequentiam insulam illi adhaerentem vin-
 dicat. Respondemus: principale regulariter ad se trahit minus
 principale, tanquam accessorium, non vice versa, *arg. l. 2. d.*
pec. legat. l. 19. §. 13. d. aur. et arg. legat. et, si dubitetur, quid
 principale, quid haberi debeat accessorium, maior pars ad se trahit
 minorem, aut pretiosior minus pretiosam. *l. 27. §. ult. d. A. R. D.*
 VOET. *ad Pand. d. L. XLI. tit. 1. §. 14.* Quis vero dubitauerit,
 insulam in flumine publico natam pro re accessoria habendam esse,
 quae

quae iure vicinitatis pristino proximioris praedii domino accessit, et quae, si iam eandem non amplius ut rem accessoriam, sed ut partem praedii, cui quondam accessit, considerare malis, saltem partem constituit ab alterius praedio per flumen separatam, et minorem intuitu fundi, cui denuo accedit iure coalitionis. Grauius excitat dubium PROCVLVVS in l. 56. §. 1. d. A. R. D. ibi: *Item quaero, si cum propior ripae meae enata est insula, et postea totum flumen fluere inter me et insulam coepit, relicto suo alueo, quo maior annis fluxerat: num quid dubites, quin etiam insula mea maneat, et nihilominus eius soli, quod flumen reliquit, pars fiat mea? rogo, quid sentias, scribes mihi.* Proculus respondit, *si cum propior fundo tuo initio fuisset insula, flumen, relicto alueo maiore, qui inter eam insulam fuerat, et eum fundum vicini, qui trans flumen erat, fluere coepit inter eam insulam et fundum tuum: nihilominus insula tua manet, sed alueus, qui fuit inter eam insulam et fundum vicini, medius diuidi debet: ita ut pars propior insulae tuae, tua: pars autem propior agro vicini, eius esse intelligatur, intelligo, ut et cum ex altera parte alueus fluminis exaruerit, defuisse insulam esse: sed quo facilius res intelligeretur, agrum, qui insula fuerat, insulam appellant.* HALOANDER loco verborum: *intelligo ut et;* legit: *intelligo etiam;* Sed utraque lectio eundem sensum refert, nobis haudquaquam aduersantem. Nam tota verborum series, quam consulto oculis subiecimus, fatis abunde probat, PROCVLVVM non de alueo terra expleto, qui tam cum praedio vicini, quam cum insula vnitatem fecit, sed de alueo exsiccato, siue exarescente agere. In qua specie quum nulla occurrat coalitio, adeoque insula maneat pars praedii, cui accessit antea, mirum non est, alueum desertum eadem ratione inter possessorem insulae, cuius dominium saluum retinet et illaesum, nec non alterius fundi e regione sita dominum diuidendum esse, qua inter alios diuidendus est vicinos, qui prope ripam eius praedia possident, pro modo scilicet latitudinis cuiusque agri, quae latitudo prope ripam sit. §. 23. l. d. R. D. Nam et tum neque domino insulae, neque alteri

QK II 387


VIII

alteri vicino vlla imputari potest negligentia, ob quam fundi ad alterum pertinentis accretionem praetendat. Quae vero in nostra specie deprehenditur ratio, vi cuius dominus insulae negligentiae adscribere debet suae, quod passus sit, crustam in alueum lapsam non tantum cum vicini fundo, sed et cum insula sua coaluisse. Hinc iure meritoque pristinus dominus amittit insulae dominium, et haec ad dominum vicini praedii, non ob alueum derelictum, sed ob coalitionem perinde pertinet, atque ad eum pertinet crusta in alveum delapsa, illumque explens. Et oppido falsus est BRUNNE-MANN *ad d. l. 56. d. A. R. D.* siquidem eum ita accipias, quod prior dominus insulae dominium retineat, etsi haec per coalitionem cum fundo vicini connectatur. Cui tamen sententiam hanc, iuri tantopere, vti probauimus, aduersam, tribuere nolimus, quoniam ipsi non cum connexionem insulae per coalitionem, sed quae fit per alluionem, res est: neque elegans ICTUS, DONELLVS *Lib. IV. t. 29.* quem is testem aduocat, de nostra specie quidquam habet, nec nobis contradicit. Quum igitur, quantum satis est, sententiam, quam defendimus, nos corroborasse credamus, huic rei non diutius immoramur, sed iam indicimus orationem solemnem, qua memoriam IOHANNIS SIEGFRIDI ACKERMANNI re-colet CAROLVS FRANCISCVS ROMANVS, Lipsien-sis, insimul de iniquitate consuetudinis, cuius vi bona naufragorum Fisco addicuntur, verba facturus. Qui quum grati animi de-clarandi causa, ob stipendium a laudato ACKERMANNO fundatum, sibi que collatum, orationem istam futuro die XXVI. Ian. post horam IX. in nostro habiturus sit auditorio, ad eam au-diendam RECTOREM MAGNIFICVM, ILLVSTRISSIMOS CO-MITES, *Academiae Patres, Proceres et Ciues*, qua decet ob-seruantia inuitamus. P. P. Domin. III. post Fest. Epiph. An. MDCCCLII.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

Mit.



B. M. II, 348.
S. 68, 8.

II k
387

ORDINARIUS X 2315736
SENIOR ET RELIQVI DOCTORES
COLLEGII IVRIDICI LIPSIENSIS
A D
MEMORIAM
IOH. SIEGFRIDI
ACKERMANNI
MERCATORIS QVONDAM LIPSIENSIS
PVBLICA ORATIONE
D. XXVI. IAN. HOR. IX - X. c1616CCLII.
IN AVDITORIO PETRINO
CELEBRANDAM
LECTOREM BENEVOLVM
EA QVA DECET HVMANITATE



INVITANT.

